

ando teneantur. Et e converso similiter Alexandrini jurant super sancta Dei Evangelia hæc omnia supradicta versus prædictos Astenses bona fide, & absque fraude observare, excepto de Curaia, quæ est Astensis Episcopi, & de pedagogis sub jurejurando ad terminum venditis, sed adveniente termino duorum mensium vir prædictæ Alexandria non det in Haste, aut ejus jurisdictione pedagogium, aut alium honorem præter prænominati Episcopi Curajam, & hoc jurejurandum semper in capite decem annorum renovetur si ab Alexandrinis Astensibus consensibus, aut ab Astensibus Alexandrinis requisitum fuerit, & hæc omnia inscripta Astenses, & Alexandrinos bona fide &c. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis MCLXIX. indictione II. Et si aliquod milioramentum major pars utriusque credentiæ, & consulum facere voluerit, utraque pars teneatur similiter; salvo Imperatore, sic intelligatur quod recedente fortia, ac violentia Imperatoris ab Italia statim hoc jurejurando, utraque pars adversus aliam teneatur. Et si homines Astenses in guerram ierint pro Alexandrinis usque ad finem guerræ non debent eos dimittere, & e converso.

Literæ D. Gualdini Mediol. Archiep. quibus ad Galdinum Ep. Aq. formulam juramenti, quod Provinciales Episc. in sua consecratione præstare solent, transmittit versus annum 1170.

M C L X X.

Gualdinus Dei gratia S. Mediolanen. Ecclesiæ Archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus Ven. fratri Galdino Aquensi Episcopo salutem, & omne bonum. Postulavit a nobis caritas tua, ut tenorem juramenti, quod fratres Coepiscopi nostri in consecratione sua Mediolanensi Ecclesiæ solent præstare, tibi in scriptis transmitteremus. Noverit itaque caritas tua hunc esse ipsius juramenti tenorem. Ego Galdinus Aquensis Episcopus juro ad sancta Dei Evangelia, quod amodo ero fidelis, & obediens... nec Mediolanensi Ecclesiæ, & D. Gualdino Mediolanensi Archiepiscopo, ejusque catholicis successoribus; & possessiones, quas Aquensis Ecclesia nunc habet, vel si quæ alienatæ, vel occupatæ fuerint, & temporibus meis ad Aquensem Ecclesiam redierint, non vendam alicui, nec infeudabo, nec alienabo, nisi forte per licentiam, & concessionem Mediolanensis Archiepiscopi, & Aquensium Canonorum totius, vel majoris partis.

Conventiones inter homines Alexandria, & marchiones Gavii.

M C L X X I I.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septingentesimo secundo, indictione quinta, decima die augusti in loco Gavii præsentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, ideo quod homines Alexandria, quæ est posita in loco Roboreti juraverunt per sancta Dei Evangelia marchionibus Gavii contra omnes homines adjuvare, tenere Gavium, Montaldum, Amelium, Taxarolum, Pasturanam, & stratam per locum Gavii.

Albertus marchio Gavii filius quondam Guidonis, item marchionis, qui professus est lege Salica vivere una cum filiis suis Johanne Vermo, & Manfredo fecit investituram, & donationem in omnibus habitatoribus Alexandria illis, qui modo habitant in ea Alex., aut ab hoc die in antea habitabunt de pedagio, quod tribuebant Gavii istis Marchionibus, quod omnino ab hoc die in antea nunquam ullo tempore nullum pedagogium tribuant in loco Gavii, neque in suo districtu istis marchionibus, neque suis nunciis, nec ulli personæ de omnibus suis rebus, scilicet homines Alexandrini, qui modo sunt in ea, aut ab hac die habitabunt, ut supra legitur, five pax, five guerra sit inter illos, quod absit Deus, vadant per locum Gavii, & mercatores cum bestiis, & cum omnibus suis rebus ducendo mercatum sine ullo pedagio omni tempore scilicet sint salvati, & tuti in loco Gavii, & in suo districtu isti habitatores Alexandrini ducendo mercatum cum omnibus suis rebus ab istis marchionibus Gavii cum omnibus hominibus Gavii bona fide, suorumque posse.

Signum Albertus marchio iste, qui hanc cartam, ut supra legitur, & istam investituram, & donationem pedagogii fecit suis manibus, & fecit jurare Ruffino Trespanes ad sancta Dei Evangelia in anima sua istam donationem pedagogii, & omnia pacta infr. infr. ista attendere, & firma tenere, & non infringere, sic Deus illum adjuvet, & S. Dei Evangelia omni tempore. Signum Johannis Vermi, Manfredi ista, ut supra legitur omnia inf. inf. omni tempore juraverunt unusquisque per se ita attendere, sicut pater illorum.

Actum est hoc in loco Gavii in Ecclesia sancti Jacobi in assumptione B. Mariæ. Testes adfuerunt Episcopus de Montemoresino, Trencherius de Gavio, Ottus Forcelli, & Corsus Jardinus, Baldinus Gustaldus, Vermus Campestrus, Guido, Azo Algerius, Johannes Canis, Bonifacius Bucardus, Henricus Clappe, & Guido Uberzoni, Guido Agnis, Marsus Ugellus, Henricus Vacrus, Pugnus Rochæ, Penatrinus de Plovera, Beneglorius de Turre, Manfredus Plaza, Simon Coraii, Otto de Anzano, Porcus, Ruffinus Bazzarius.

Controversia de quodam molendino inter Galdinum Episc. Aq., & P. Remperge ab anno 1771. ad 1776. circiter.

M C L X X V I.

56

Constat controversiam fuisse inter D. Galdinum Aquensis Ecclesiæ Episcopum, & Petrum Remperge de Molendino de Pontone, dicebat namque D. Episcopus molendinum de Pontone, quod Petrus Remperge tenet, suum proprium, & Dominicum esse, idcirco ejus restitutionem postulabat. Petrus vero dominium, & proprietatem molendini Episcopi esse confitendo dicebat, sed in prædicto molendino jus habere ideo, quia D. U. de Melignano quondam Aquen. Episc. illud patri suo in emfiteusim dedit, & ei, ejusque heredibus solvendo singulis annis Aquensi Episcopo VII. modios frumenti, & IV. modios speltæ ad mensuram sextarii